

quid facio? Quantum possunt homines de alio judicare? Plus homo utique ipse de se: sed Deus plus de homine, quam homo de se. Ergo si talis fueris, intrabis, in quinque illis virginibus eris: cæteræ fatuæ excludentur. Nam hoc habes in Evangelio, Claudetur ostium, et stabunt et clamabunt: «Aperi nobis<sup>1</sup>;» et non aperietur: «Quoniam confirmavit vectes portarum tuarum. Confirmavit, inquit, vectes portarum tuarum:» segura sta, segura lauda, sine fine lauda. Fortiter clausæ sunt portæ tuæ: non exit amicus, non intrat inimicus. «Confirmavit vectes portarum tuarum.»

XIV. «Benedixit filios tuos in te.» Non vagantur foris, non peregrinantur; intus gaudent, intus laudant, intus benedicuntur; intus non parturiunt, quia jam neminem pariunt. Filii sunt, sancti sunt: isti filii sancti jam laudantes et gaudentes, parturiti et parti sunt matre charitate, inclusi sunt colligente charitate. Audi charitatem parturientem illos: qua præditus Paulus apostolus, non solum paternum, sed et maternum cor gerens in filios, «Filii mei, inquit, quos iterum parturio<sup>2</sup>.» Cum Paulus eos parturiebat, charitas parturiebat: cum charitas eos parturiebat, Dei Spiritus parturiebat. «Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis<sup>3</sup>.» Ergo colligat, quos parturivit et peperit. Modo jam intus filii sunt, securi sunt. Volarunt de nido timoris, volarunt in cœlestia, volarunt in æterna: jam nihil metuunt temporale.

XV. «Benedixit filios tuos in te.» Quis? «Qui posuit fines tuos pacem<sup>4</sup>.» Quomodo exultastis omnes? Hanc amate, fratres mei. Multum delectamur, quando clamat de cordibus vestris pacis dilectio. Quomodo vos delectavit? Nihil dixeram, nihil exposueram; versum pronun-

<sup>1</sup> Matth. xxv, 11. — <sup>2</sup> Gal. iv, 19. — <sup>3</sup> Rom. v, 6. — <sup>4</sup> Psal. cxlvii, 14.

tiavi, et exclamastis. Quid de vobis clamavit? Dilectio pacis. Quid ostendi oculis vestris? Unde clamatis, si non amatis? Unde amatis, si non videtis? Invisibilis est pax. Quis est oculus, quo visa est, ut amaretur. Neque enim acclamaretur, nisi amaretur. Hæc sunt spectacula quæ exhibet Deus rerum invisibilium. Quanta pulchritudine intellectus pacis corda vestra percussit? Quid jam ego loquar de pace, aut de laude pacis? Prævenit omnia verba mea vester affectus: non impleo, non possum, infirmus sum. Differamus omnes laudes pacis ad illam patriam pacis. Ibi eam plenius laudabimus, ubi eam plenius habebimus. Inchoatam in nobis si sic amamus, perfectam quomodo laudabimus? Ecce hoc dico, o filii dilecti, o filii regni, o cives Jerusalem, quoniam in Jerusalem visio pacis est: et omnes qui amant pacem, benedicuntur in ea, et ipsi intrant cum clauduntur portæ, et firmantur vectes. Hanc quam nominatam sic amatis et diligitis, ipsam sectamini, ipsam desiderate: ipsam in domo, ipsam in negotio, ipsam in uxoribus, ipsam in filiis, ipsam in servis, ipsam in amicis, ipsam in inimicis diligitis.

XVI. Ipsa est pax quam non habent hæretici. Quid agit pax in hujus adhuc regionis incertis, in ista peregrinatione mortalitatis nostræ; cum adhuc nemo est alteri conspicuus, nemo videt cor alterius? Quid agit pax? De incertis non judicat, incognita non confirmat: proclivior est ad bene credendum de homine, quam ad male suspicandum. Non se multum dolet errare, cum bene credit etiam de malo: perniciose autem, cum male sentit forte de bono. Nescio qualis sit: quid perdo, si credo quia bonus est? Si incertum est, licet ut caveas, ne forte verum sit; non tamen damnes, tanquam verum sit. Hoc pax jubet. «Quære pacem, ait, et sequerè eam<sup>1</sup>.» Hæresis

<sup>1</sup> Psal. xxxiii, 15.



quid monet? Damnat incognitos, damnat totum mundum, perit totus mundus, nullus est Christianus, Africa remansit. Bene judicasti. De quo tribunali dicis tu sententiam in orbem terrarum? In quo foro ante te mundus stetit? Nolo mihi credatur, sed nec tibi: Christo credatur, Spiritui Dei per Prophetas credatur, Legi Moysi credatur. Quid dixit Moyses de futuris his temporibus? Ad Abraham dictum est: « In semine tuo benedicentur omnes gentes<sup>1</sup>. » An dubitas quid sit semen Abrahæ? Puto quia cum Apostolus dixerit, non dubitabis: aut si et de Apostolo dubitabis, quare, Pax pax, et non est » pax<sup>2</sup>? Quid dicit Apostolus? « Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit: Et seminibus tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, » quod est Christus<sup>3</sup>. » Ecce ante millia annorum dictum est Abrahæ, « In semine tuo benedicentur omnes » gentes. » Quod ante millia annorum dictum est, et ab uno creditum, modo jam videmus impletum. Hac legimus, hac intuemur, et tu resistis de transverso veniens? Quid dicturus? Noli credere. Cui? Spiritui Dei? Deo loquenti ad Abraham? Et cui credo? Tibi? Non hoc dico, inquis. Non hoc dicis? Non dicis: Mihi potius crede, quam Spiritui Dei et Deo loquenti ad Abraham? Quid ergo mihi dicis? Ille tradidit, et ille tradidit. De Evangelio recitas hoc, de Apostolo, de Prophetis? Discute omnes Scripturas, lege mihi hoc ex eis quibus credo: tibi enim non credo. Unde lecturus es? Hoc mihi pater meus, ait, hoc mihi avus meus, hoc mihi frater meus, hoc mihi episcopus meus. Sed hoc Abrahæ Deus: « In semine tuo benedicentur omnes gentes. » Audit unus homo, et credit, et fit in multis post multa tempora. Quando dictum est, creditur? quando impletum est, du-

<sup>1</sup> Gen. xxii, 18. — <sup>2</sup> Jerem. vi, 14. — <sup>3</sup> Gal. iii, 16.

bitatur? Hoc ergo dixit Moyses, dicant et Prophetæ. Vide commercium emptionis nostræ. Christus pendet in ligno: Vide quanto emit, et sic videbis quid emit. Empturus est aliquid, ipsum aliquid nondum scis. Vide, vide quanti, et videbis quid. Sanguinem fudit, sanguine suo emit, sanguine Agni immaculati emit, sanguine unici Filii Dei emit. Quid emptum est sanguine unici Filii Dei? Adhuc vide quanti. Propheta dixit longe antequam fieret: « Foderunt manus » meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. » Magnum pretium video, Christe, videam quid emisti: « Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum uni- » versi fines terræ. » In uno eodemque Psalmo emptorem video, et pretium, et possessionem. Emptor Christus est, pretium sanguis, possessio orbis terrarum. Voces ipsas propheticas audiamus, contradicentes litigatoribus hæreticis. Ecce possessio Domini mei. Jus lego in Psalmo: « Comme- » morabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines » terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ » gentium. » Et vide jurgantem, vide jus defendentem: « Quoniam ipsius est regnum, et ipse dominabitur gen- » tium<sup>1</sup>. » Ipse qui emit Christus, non qui apostatavit Donatus. Adorabunt: « Recte adorabunt omnes patriæ » gentium in conspectu ejus. » Quare recte? « Quoniam » Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. » Illud Moyses, hoc Prophetæ, et alia multa millia. Quis numerat testimonia de Ecclesia toto terrarum orbe diffusa? quis numerat? Non sunt tot hæreses contra Ecclesiam, quot sunt testimonia Legis pro Ecclesia. Quæ pagina non hoc sonat? quis versus non hoc loquitur? Omnia clamant pro unitate dominica, quia posuit fines Jerusalem pacem. Tu contra ista latras, hæretice? Unde merito dicitur in illa civitate, quod scriptum est in Apocalypsi,

<sup>1</sup> Psal. xxi, 17, 18 et 28, 29.



« Canes foras<sup>1</sup>. » Tu contra ista latras. Unde iudicasti de orbe terrarum, ut dicere cœperam? quo tribunali? Præsumptione videlicet cordis tui. Altum tribunal, sed ruinosum. Dixit hoc Moyses, dixerunt hoc Prophetæ: et nondum credunt, qui se Christianos videri volunt.

XVII. Torquebatur quidam dives apud inferos, desideravit aquæ stillam de digito contempti ante januam suam pauperis, quoniam urebatur in flammis. Et cum ei non daretur, quia « Judicium sine misericordia illi, qui » non fecit misericordiam<sup>2</sup>: » cum ergo ei non daretur, dixit ad Abraham: « Pater Abraham, mitte Lazarum, » habeo ibi quinque fratres, annuntiet eis quæ hic patior, » ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum. » Et quid illi Abraham? « Habent illic Moysen et Prophetas. » Et ille, « Non, pater Abraham; sed si quis ex mortuis » resurrexerit, credent. » Et Abraham, « Si Moysen, » inquit, et Prophetas non audiunt, nec si quis a mortuis » resurrexerit, credent<sup>3</sup>. » De quibus dixit: « Habent ibi » Moysen et Prophetas? » De his utique qui adhuc vivebant, quibus adhuc tempus correctionis largum erat, qui nondum venerant in loca illa tormentorum. « Habent ibi, inquit, quos audiant, Moysen et Prophetas. » Non credunt his, sed « Si quis a mortuis resurrexerit, » credent. Si Moysen et Prophetas non audiunt, nec si quis » a mortuis resurrexerit credent. » Sententia Abrahamæ est. Abrahamæ sententia ubi, et unde? De quodam excelso loco, et pleno quietis et felicitatis, quem vidit ille, qui cruciabatur in flamma, levatis oculis suis; quando in ejus gremio, id est, in ejus secreto, vidit pauperem feliciter exultantem; inde prolata est ista sententia. Vide de quo tribunali. Ibi enim habitat Deus, quia in sanctis habitat Deus. Unde optat Apostolus, et dicit: « Dissolvi et esse

<sup>1</sup> Apoc. xxi, 15. — <sup>2</sup> Jacob. ii, 13. — <sup>3</sup> Luc. xvi, 19-31.

» cum Christo, multo magis optimum<sup>1</sup>. » Et latroni illi dicitur: « Hodie mecum eris in paradiso<sup>2</sup>. » Ergo Dominus cum Abraham et in Abraham manens, dixit istam sententiam: « Habent ibi Moysen et Prophetas; si illos » non audiunt, neque si aliquis a mortuis resurrexerit, » credent ei. » O hæretici, habetis hic Moysen et Prophetas: adhuc vivitis, adhuc potestis audire, adhuc licet corrigi, animositatem frenare, veritatem tenere adhuc conceditur: disceptate vobiscum utrum audiendus sit Moyses et Prophetæ, qui fidei suæ testimonia tanta exhibuerunt; cum videamus sic currere res humanas, ut ab ipsis prædictæ sunt. Quid dubitatis adhuc credere Moysi et Prophetis? Quid dubitatis audire? An forte quæritis resurgentem a mortuis, utrum et ipse vobis dicat de Ecclesia sua? Quæsit hoc dives apud inferos, aliquem mitti ex mortuis ad fratres suos<sup>3</sup>: reprehensus est quia hoc quæsit; sufficere debuerunt fratribus ejus Moyses et Prophetæ. Ad hoc ille frustra quæsit, ut vos jam exemplo admoniti, ne frustra et sero quærentes, sicut ille torqueamini. Audiatis Moysen et Prophetas. Quid dixit Moyses? « In semine tuo benedicentur omnes gentes<sup>4</sup>. » Quid dixerunt Prophetæ: « Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ<sup>5</sup>. » Adhuc mihi dicturus es, Surgat aliquis ex mortuis, ego non credo, nisi aliquis, inde venerit, et dixerit? O Domine, gratias misericordiæ tuæ: voluisti mori, ut aliquis ab inferis surgeret; et ipse aliquis, non quicumque, sed veritas surrexit ab inferis. Qui verum de inferis diceret, etsi ad inferos non veniret: tamen propter voces imperitorum malorum, ecce ipse mortuus est, ecce resurrexit ab inferis. Quid dicis, hæretice? quid dicis? Modo te audiam,

<sup>1</sup> Philip. i, 23. — <sup>2</sup> Luc. xxii, 43. — <sup>3</sup> Id. xvi, 27. — <sup>4</sup> Gen. xxii, 18. — <sup>5</sup> Psal. cxi, 28.



finitæ sunt omnes excusationes tuæ : etsi verba diceret divitis apud inferos constituti, surrexit a mortuis Christus : dignaris vel ipsum audire? Ecce quod forte similis diviti mortuo vivus desiderabas, surrexit ab inferis : non pater tuus, non avus tuus, non illi surrexerunt qui nescio quos nomine traditionis infamaverunt. Sed ecce non infamaverunt, verum dixerunt : vis nosse quam nihil ad me? Audiamus simul quid dixerit, qui surrexit ab inferis. Quid pluribus immorer? Audiamus, jam aperiatur Evangelium, legatur quod factum est tanquam fiat : ponatur ante oculos nostros gesta præterita, propter cavenda futura. Ecce Christus surgens a mortuis, ostendit se Discipulis suis. Nuptiæ ipsius, ipse sponsus, Ecclesia sponsa. Ecce sponsus qui dicebatur mortuus, absumptus, finitus; ecce integer resurrexit, ecce ostenditur oculis Discipulorum, ecce præbetur contrectantibus manibus, ecce tetigerunt cicatrices quæ desperatæ sunt vulnera. Exhibuit se oculis eorum videndum, manibus contrectandum, putant spiritum esse; desperaverunt enim de salute sua. Exhortatur eos, confirmat in fide : « Palpate, et videte, » quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere<sup>1</sup>. » Tangunt, gaudent, trepidant. « Et cum » adhuc trepidarent præ gaudio : » sic habes scriptum. Etsi certa sunt; quæ multum læta sunt, vix creduntur. Dubitatio quædam veluti tardius credentis, condit voluntatem tenentis. Necesse est ut plus homo gaudeat, cum venerit quod desperaverat. Nam ad ipsum gaudium condiendum et augendum, noluit se statim cognosci. Tenuit visus Discipulorum suorum, illorum duorum quos invenit in via colloquentes jam in desperatione, et dicentes : « Nos » autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël. » Putaverant hoc, jam non putabant. Jam spes cum eis non

<sup>1</sup> Luc. xxiv, 39.

erat, et Christus cum eis erat : sed qui se reddidit, et spem reduxit. Postea ergo dixit, posteaquam eum illi in panis fractione cognoverunt, et obtulit se aliis Discipulis suis, cum putarent spiritum esse, « Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et » cum adhuc præ gaudio trepidarent : Habetis hic, ait, quod » manducetur? Accepit, benedixit, manducavit, et dedit » eis. » Expressa est veritas corporis, ablata est omnis suspicio falsitatis. Quid deinde? « Non sciebatis, quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et » Prophetis et Psalmis de me? » Et quia illi credebant Moysi et Prophetis : verum enim erat quod dixit Abraham : « Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si » quis ex mortuis resurrexerit, credent. » Quia ergo credebant Moysi et Prophetis, et non erant de ipsis quos reprehendit Abraham; audierunt quod ait Dominus : « Non » sciebatis quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt » in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me? » Ecce qui crediderunt Moysi et Prophetis, videte quemadmodum ex ipsorum testimonio credunt ei qui surrexit a mortuis. « Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic » oportebat Christum pati, et a mortuis resurgere tertia die. »

XVIII. Habes jam sponsum Ecclesiæ. Et non hinc tacuit Moyses, non hinc tacuerunt Prophetæ, Christum resurrecturum a mortuis tertia die, passurum, resurrecturum. Descriptus est nobis sponsus, ut non erremus. Sed nescio qui existunt, et quia non erramus in sponso, et ipsi videntur ea quæ et nos credere de sponso, ut a membris sponsi nos avocent, dicunt nobis : Ipse est quidem sponsus quem creditis, quem et nos credimus; sed sponsa non est ipsa Ecclesia, quam tenetis. Et quæ illa est? Pars



Donati. Et hoc est quod tu dicis; hoc tu dicis, an sponsus? Tu dicis, an Deus per Moysen? Ecce per Moysen Ecclesiam teneo: dictum est a Moysse: « In semine tuo » benedicentur omnes gentes. » Tu dicis, an Spiritus Dei per Prophetas? Ecce per Prophetas Ecclesiam teneo: dictum est per Prophetam: « Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. » Ecce jam teneo testimonium Legis et testimonium Prophetarum: audiamus et eum qui surrexit a mortuis. Ostendit se sponsum, tenemus eum. Confirmavit demonstrando, exhibendo testimonia. Hoc enim Moyses, hoc Prophetæ, « Quia oportebat pati Christum, et resurgere tertia die. » Jam ergo quia tenemus ambo sponsum ex ipsis verbis, et puto quia jam incipis mecum credere et his verbis Moysi, et Prophetis: credamus et ei qui resurrexit a mortuis. Sequatur, et dicat: O Domine, video jam sponsum Christum, factum est: ne quis me avocet a membris sponsæ tuæ, et non sis mihi caput, si ego in membris ejus non fuero; dic mihi et de Ecclesia aliquid; quia jam de sponso ejus non dubito. Audi et de Ecclesia: sequitur, et dicit: « Prædicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem » peccatorum. » Nihil verius, « Prædicari in nomine ejus » poenitentiam et remissionem peccatorum. » Sed hoc ubi? Alii enim dicunt: « Ecce hic; » alii, « Ecce illic. » Et quid ipse? « Nolite credere; exurgent pseudo-christi et » pseudo-prophetæ, et dicent: Ecce hic, et ecce illic<sup>1</sup>. » Non enim de ipso capite dicunt: « Ecce hic, et ecce illic; » notum est enim quod Christus in coelis est: sed de Ecclesia ubi Christus est, qui ait: « Ecce ego vobiscum sum usque » ad consummationem sæculi<sup>2</sup>. » Sed ait Dominus: Nolite credere. Qui dicit: « Ecce hic, et ecce illic, » partes ostendit: ego totum emi. Dicat mihi hoc Evangelium: dic

<sup>1</sup> Matth. xxiv, 23, 24. — <sup>2</sup> Id. xxviii, 20.

hoc ipse ex Evangelio, quia jam resurrexisti a mortuis, ut credant tibi qui credunt Moysi et Prophetis: dic mihi hoc tu. Audio: « Oportebat Christum pati et resurgere » tertia die, et prædicari in nomine ejus poenitentiam et » remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem<sup>1</sup>. » Quid est, hæretice? Certe cum recitarem Moysen, cum recitarem Prophetas, distulisti ad eum qui resurrecturus erat a mortuis: ecce resurrexit, ecce dixit: tam nullam habet dubitationem Ecclesia Christi et uxor Christi, quam nullam habet dubitationem corpus Christi, demonstratum oculis, contrectatum manibus Discipulorum. Ecce qui resurrexit a mortuis utrumque ostendit: ostendit caput, ostendit membra; ostendit sponsum, ostendit sponsam. Aut utrumque mecum crede, aut illud in damnationem tuam credis. Quid enim quia resurrexit a mortuis, quia in eodem corpore resurrexit? Bene, quia cicatrices ostendit; quia ut crucifixus est, ut sepultus, ita redditus, ita demonstratus: optime credis, audi illum loquentem in quem credis. « Prædicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum. » Ubi? Per latas terras. Si vellem illud ego dicere, jam luctans adversus hæreticos, jam pugnans; jam habens cum illis conflictum tantæ quæstionis; non illud dicerem sic contra præsentem hæreticos, quomodo illud dixit ille contra futuros. Quid vis amplius? Remissio peccatorum in Christi nomine prædicatur. Ubi? « Per omnes gentes. » Unde? « Incipiens ab Jerusalem. » Communica huic Ecclesiæ. Quare litigamus? Cœpit enim hæc Ecclesia ab Jerusalem ista terrena, ut gaudeat inde Deo in illa Jerusalem cœlesti. Ab hac enim incipit, ad illam terminat. In illa tota Ecclesia erit, ab ista exordium fidei sumpsit.

<sup>1</sup> Luc. xxiv, 13-47.



XIX. Lege Actus Apostolorum, si forte mentior, quomodo ibi erant congregati Discipuli, cum veniret Spiritus sanctus; ut ostendatur tibi quod dixit Dominus: « Incipientibus ab Jerusalem: » quomodo linguis omnium locuti sunt in quos venit Spiritus sanctus<sup>1</sup>. Quare non vis loqui omnium linguis? Ecce ibi omnes linguæ sonuerunt. Quare modo cui datur Spiritus sanctus, non loquitur omnium linguis? Hoc enim tunc erat indicium venientis in homines Spiritus sancti, ut linguis omnium loquerentur. Modo quid dicturus es, hæretice, quia non datur Spiritus sanctus? Non dico ubi datur: an non datur? Si non datur; quid est quod agitis, loquendo, baptizando, benedicendo? Quid est quod agitis? Inania celebratis. Ergo datur. Si datur, quare linguis omnium non loquuntur quibus datur? Numquid defecit donum Dei, aut minor est fructus? Creverunt zizania, sed et triticum. « Sinite utraque » crescere usque ad messem<sup>2</sup>. » Non dixit: Crescant zizania, decrescat frumentum: utrumque crevit. Quare non apparet modo Spiritus sanctus in linguis omnibus? Imovero apparet in linguis omnibus: tunc enim nondum erat Ecclesia per terrarum orbem diffusa, ut membra Christi in omnibus gentibus loquerentur. Tunc implebatur in uno, quod prænuntiabatur in omnibus. Jam totum corpus Christi loquitur omnium linguis: et quibus loquitur, loquetur. Crescet enim Ecclesia, donec occupet omnes linguas. Quod vos deseruistis, quousque crevit? Tenete nobiscum quousque accessit, ut nobiscum perveniatis ad quæ nondum accessit. Loquor omnium linguis, audeo tibi dicere: In corpore Christi sum, in Ecclesia Christi sum: si corpus Christi jam omnium linguis loquitur, et ego in omnibus linguis sum: mea est græca, mea est syra, mea est hebræa, mea est omnium gentium; quia in unitate sum omnium gentium.

<sup>1</sup> Act. 1, 4-14 et II, 1-12. — <sup>2</sup> Matth. XIII, 30.

XX. Ergo, fratres, cœpit Ecclesia ab Jerusalem, iit per omnes gentes. Quid evidentius hoc testimonio Legis, Prophetarum, ipsius Domini? Apostolorum ubique personant voces, reddentes testimonium spei nostræ in unitate corporis Christi. Gaudete in frumentis, tolerate zizania; gemite in tritura, suspirate in horreum. Veniet illud tempus, quo gaudebimus, confirmatis vectibus portarum Jerusalem. Intret, qui intraturus est. Qui illuc manifestus intrabit, huc fictus non intrat. Qui autem huc fictus intrat, foris est. Foris est, et nescit: ventilabrum probabit, vectes probabunt. Qui modo vere intus et veraciter intus, ibi firmiter intus: qui autem hic tolerando intus, ibi gaudendo intus. Fines enim Jerusalem pax: quia, « Posuit, inquit, fines tuos pacem. » Modo desideramus pacem, quam hic habemus in spe. Adhuc enim in nobis ipsis qualis pax? « Caro » concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem<sup>1</sup>. » Ubi plena pax in uno homine? Quando erit plena in uno homine, tunc erit plena in omnibus civibus Jerusalem. Quando erit plena pax? Quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem<sup>2</sup>: tunc plena pax, tunc firma pax; nihil litigat adversus animam in homine, non ipsa adversum se, ex quadam parte saucia; non carnis fragilitas, non indigentia corporis, non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo, non ulla inopia, non provocatio rixæ, non certe ipsa sollicita cautela et vitandi inimici et diligendi. Hæc omnia, fratres mei, litigant adversum nos; nondum est plena et perfecta pax. Quod clamastis jamdudum nominata pace, ex desiderio clamastis; clamor vester de siti fuit, non de saturitate: quia ibi erit perfecta justitia, ubi perfecta pax. Modo esurimus et sitimus justitiam; « Beati » qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi satura-

<sup>1</sup> Gal. v, 17. — <sup>2</sup> I Cor. xv, 53.



» buntur<sup>1</sup>. » Quomodo ipsi saturabuntur? Cum ad pacem venerimus. Ideo cum dixisset, « Qui posuit fines tuos pacem : » quia ibi saturitas et nulla indigentia, subdidit statim, « Et adipe frumenti satians te. »

XXI. Fratres, quoniam pax ipsa de qua loquimur, nondum est in totis nobis, id est, in unoquoque nostrum tota, adhuc forte spiritum vestrum delectat audire : sed si nihil resistit et rebellat ex corpore, finiemus Psalmum. Fatigatos vos nunquam sentio, tamen vereor, novit Deus, ne oneri sim vobis aut quibusdam fratribus : et video studia multorum exigentium de me hunc laborem et hunc sudorem, quem credo in Domino non futurum infructuosum. Gaudeo tantam esse voluptatem in veritate verbi Dei, ut studium vestrum bonum in bono et de bono, vincat studium insanorum, qui sunt in amphitheatro. Numquid illi si tandiu starent, adhuc spectarent? Ergo, fratres, audiamus cætera, quia hoc vultis. Adsit Dominus, adsit et viribus et mentibus nostris. « Qui posuit fines tuos pacem, » ad illam Jerusalem dicit : « Et adipe frumenti satians te. » Transit fames et sitis justitiæ, succedit saturitas. Qui ibi erit adeps frumenti, nisi panis ille qui descendit de cælo ad nos<sup>2</sup>? In patria ipsa quomodo saturabit, qui in peregrinatione sic pavit?

XXII. Jam modo de ipsa peregrinatione nostra locutus est, qua venit ad illam Jerusalem, ubi collaudabimus Dominum, laudabimus Dominum Deum nostrum, nos Jerusalem, nos Sion, quando confirmabuntur vectes portarum nostrarum. Etenim ille qui tunc satiabit adipe frumenti, quid facit in ista peregrinatione? Hoc quod sequitur : « Qui emittit verbum suum terræ. » Ecce in terra laboramus fessi, languidi, pigri, frigidi : quando levaremur ad adipem frumenti et satietatem, nisi mitteret

<sup>1</sup> Matth. v, 6. — <sup>2</sup> Joan. vi, 41.

verbum suum terræ, qua gravabamur; terræ, qua impediabamur a reditu? Misit verbum suum, non deseruit etiam in eremo, pluit manna de cælo<sup>1</sup>. « Qui emittit verbum suum terræ; » et venit ad terras verbum ejus. Quomodo? aut quod est verbum ejus? « Usque in velocitatem currit verbum ejus. » Non dixit, Velox est verbum ejus : « Currit verbum ejus usque in velocitatem. » Intelligamus, fratres, non potuit eligere melius verbum. Calidus calore calescit, frigidus frigore frigescit, velox velocitate velox fit. Quid calidius ipso calore, quo calescit quidquid fit calidum? Quid frigidius ipso frigore, quo frigescit quidquid frigidum fit? Quid ergo velocius ipsa velocitate, qua velox fit quidquid velociter currit? Possunt dici multa velocia, et alia magis et alia minus : et tanto quæque res velox est, quanto est particeps velocitatis. Illa res magis est particeps velocitatis, ergo magis velox : aut minus particeps velocitatis, ergo minus velox. Ipsa itaque velocitate quid velocius? Ergo quousque currit? « Usque » in velocitatem. » Quantum vis auge quod velox est verbum, et dic, Velocius est quam illud aut illud, quam aves, quam venti, quam Angeli. Numquid aliquid horum tantum, quanta ipsa velocitas, usque in ipsam velocitatem? Velocitas ipsa quid est, fratres? Ubique est, non est in parte. Hoc pertinet ad Verbum Dei, non esse in parte, ubique esse per se ipsum Verbum, ex quo Dei Virtus et Dei Sapientia est, nondum assumpta carne<sup>2</sup>. » Si cogitemus Deum in forma Dei, Verbum æquale Patri : ipsa est sapientia Dei, de qua dictum est, « Attingit a fine usque » ad finem fortiter<sup>3</sup>. » Quanta velocitas? « Attingit a fine » usque ad finem fortiter. » Sed forte immobilitate attingit. Si immobilitate tanquam moles aliqua saxeæ impleat

<sup>1</sup> Exod. xvi, 13. — <sup>2</sup> 1 Cor. 1, 24. — <sup>3</sup> Sap. viii, 1.



locum aliquem, dicitur quod attingit ejusdem loci a fine usque ad finem, non tamen motu. Quid ergo dicimus? Non habet motum Verbum illud, et sapientia illa stolidam est? Et ubi est quod dicitur de Sapientiae spiritu? Cum multa dicerentur: « Acutus, inquit, mobilis, certus, incoquinatus<sup>1</sup>. » Sic utique sapientia Dei mobilis. Si ergo mobilis; quando hoc tangit, illud non tangit? aut hoc tangit, illud deserit? Et ubi est velocitas? Hoc facit velocitas, ut et ubique semper sit, et nusquam inclusa teneatur. Sed cogitare ista non possumus, pigri sumus. Quis ista cogitet? Et revera, fratres, quoniam dixi quomodo potui, (si tamen potui, si intellexi:) et quomodo potuistis intellexistis. Sed quid dicit Apostolus? « Ei autem qui potens est facere supra quam petimus, aut intellegimus<sup>2</sup>. » Quid hic ostendit? Quia quotiescumque intellexerimus, non intelleximus sicuti est. Quare hoc? « Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam<sup>3</sup>. » Ergo in terra frigidi sumus. Velocitas enim fervens est: et omnia ferventia velociora, omnia frigida tardiora. Nos tardi, ergo frigidi. Illa autem sapientia currit usque in velocitatem. Ergo ferventissima est: « Nec est qui se abscondat a calore ejus<sup>4</sup>. »

XXIII. Nos ergo qui frigidi corporis tarditate, vinculo terrenae vitae hujus corruptibilis onerati, nullamne spem habemus ad capiendum Verbum, quod usque in velocitatem currit? An vero ille quamvis ex corpore in infima depressos deseruit? Nonne ipse praedestinavit nos, antequam in isto mortali et pigro corpore nasceremur? Qui ergo praedestinavit nos, dedit terrae nivem, ipsos nos. Jam enim veniamus ad illos Psalmi versus subobscuros; incipiant illa involucra evolvi: quoniam vos verbum Dei, quanto magis per nos dicitur tanto avidiores invenit. Ecce nos pigri in hac terra quasi

<sup>1</sup> Sap. vii, 22. — <sup>2</sup> Ephes. iii, 20. — <sup>3</sup> Sap. ix, 15. — <sup>4</sup> Psal. xviii, 7.

congelavimus hic. Et quomodo contingit nivibus; sursum enim gelant, et in ima decidunt: sic frigescente charitate decidit humana natura in has terras<sup>1</sup>, et pigro corpore involuta velut nix facta est. Sed in ista nive sunt praedestinati filii Dei. Dat enim ille « Nivem velut lanam. » Quid est, « Velut lanam? » Id est, de nive quam dedit, de istis pigris adhuc spiritu et frigidis, quos praedestinavit, facturus est aliquid. Lana enim materies vestis est: lana, cum videtur, veluti praeparatio est aliqua ad vestem. Ergo quia praedestinavit hos, qui ad tempus frigidi repunt in terra, et nondum fervent spiritu charitatis: (de praedestinatione enim adhuc loquitur:) veluti lanam dedit hos Deus, facturus est inde vestem. Merito in monte vestis Christi fulsit, sicut nix<sup>2</sup>. Fulgebat vestis Christi, sicut nix, tanquam de illa lana jam facta erat tunica: de qua lana, id est, de nive quam dedit sicut lunam, adhuc praedestinati, pigri erant: sed expecta, vide quid sequatur: quia sicut lanam dedit eos, fit inde tunica. Quomodo enim dicitur Ecclesia corpus Christi, dicitur et vestimentum Christi ipsa Ecclesia: inde est illud quod ait Apostolus, « Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam<sup>3</sup>. » Ergo exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam: faciat sibi vestem de illa lana, quam praedestinavit in nive. Adhuc in hominibus incredulis et frigidis, et pigris, faciat vestem de hac lana. Ut abluatur a maculis, mundetur fide: ut rugam non habeat, tendatur in cruce. Qui dat » nivem sicut lanam. »

XXIV. Jam si praedestinati sunt, vocandi sunt. « Quos » enim praedestinavit, illos et vocavit<sup>4</sup>. » Jam quomodo vocantur ex languore corporis illius, ut sani fiant? quo-

<sup>1</sup> Matth. xxiv, 12. — <sup>2</sup> Id. xvii, 2. — <sup>3</sup> Ephes. v, 27. — <sup>4</sup> Rom. viii, 30.



modo vocantur? Audi Evangelium, « Non veni vocare » justos, sed peccatores in pœnitentiam<sup>1</sup>. » Incipit ergo jam prædestinatione nivis illius cognoscere torporem suum, accusare peccatum suum, incipit vocatione venire ad pœnitentiam. Merito ergo, « Qui dat nivem velut lanam, » propter confectum tunicæ futuræ; etiam propter vocationem in pœnitentiam, « Nebulam velut » cinerem spargit. Nebulam, inquit velut cinerem spargit: quis? Qui dat nivem sicut lanam. » Quos enim prædestinavit, vocat in pœnitentiam: quia quos prædestinavit, illos et vocavit. Cinis autem ad pœnitentiam pertinet. Audi vocantem ad pœnitentiam, cum exprobravit quibusdam civitatibus, dicens, « Væ tibi Co- » rozain! væ tibi Bethsaïda! quia si in Tyro et Sidone » factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim, » inquit, in cilicio et cinere pœnitentiam egissent<sup>2</sup>. » Ergo, « Nebulam velut cinerem spargit. » Quid est, « Ne- » bulam velut cinerem spargit? » Cum vocatur quisque ad intelligendum Deum, et dicitur illi, Cape veritatem: incipit velle capere veritatem, non sufficit; videt se quamdam caliginem pati, quam antea non videbat. Ad hoc est ergo illa nebula, ut noveris nescire te, et noveris quid scire oporteat, et videas te invalidum ad illud sciendum quod oportet sciri. Nam si in ista nebula jam ante præsumpseris scire, audies ab Apostolo: « Qui se putat » aliquid scire nondum scit quemadmodum oporteat eum » scire<sup>3</sup>. » Ergo nondum comprehendisti, adhuc nebulam pateris. Sed non te deseruit, qui accendit tibi lucernam carnis suæ. Non erras in nebula, fide sequere. Sed quia conaris videre, et non potes, pœniteat te peccatorum: quia nebula velut cinis sparsa est. Jam te pœniteat contumacem te fuisse adversus Deum: jam te pœniteat

<sup>1</sup> Matth. ix, 13. — <sup>2</sup> Id. xi, 21. — <sup>3</sup> I Cor. viii, 2.

secutum te fuisse vias tuas malas. Pervenisti in istam difficultatem illius beatæ visionis: et erit tibi salubris nebula, quam sicut cinerem spargit Deus. Tu ipse es adhuc nebula, sed velut cinis. Adhuc enim pœnitentes voluntur in cinere, fratres mei, tanquam similes se contentantes, dicentes Deo suo, « Cinis sum. » Dixit enim quædam Scriptura, « Despexi me ipsum et distabui, et æstimavi » me terram et cinerem<sup>1</sup>. » Hæc est humilitas pœnitentis. Quando Abraham loquitur ad Deum suum, et quando vult sibi aperiri incendium Sodomorum: « Ego, inquit, » terra et cinis sum<sup>2</sup>. » Quomodo fuit ista semper humilitas in magis et sanctis viris? « Nebulam ergo velut cinerem » spargit: » quare? Quia « Quos prædestinavit, illos et » vocavit<sup>3</sup>. Qui non venit vocare justos, sed peccatores in » pœnitentiam<sup>4</sup>. »

XXV. « Qui mittit crystallum suum velut frusta panis. » Non denuo laborandum est dicere quid sit crystallum. Prælocuti enim sumus, et credo non excidisse Charitati Vestræ. Quid est ergo, « Mittit crystallum suum velut » frusta panis<sup>5</sup>? » Quomodo nix illa ipsius, quia prædestinatorum est; quomodo nebula illa ipsius, quia ipsi vocantur ad pœnitentiam, qui prædestinasti sunt ad salutem: sic est quodam modo crystallum ipsius. Quid est crystallum? Multum obdurit, multum congelavit; non jam sicut nix facile solvi potest. Nix multorum annorum tempore durata et serie sæculorum, crystallum dicitur: et hoc mittit velut frusta panis. Quid hoc sibi vult? Fuerunt nimis duri, non jam nivi, sed crystallo comparandi: et ipsi prædestinati sunt, et vocati, et quidam eorum ita ut pascerent alios, et essent utiles et aliis. Et quid opus est, ut numeremus multos forte quos novimus, illum aut illum?

<sup>1</sup> Job. xxx, 19. — <sup>2</sup> Gen. xviii, 27. — <sup>3</sup> Rom. viii, 30. — <sup>4</sup> Matth. ix, 13. — <sup>5</sup> Psal. cxlvii, 17.